

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4365

**Auteur(s) :** Coutances (official)

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1293, 12 mars

**Lieu d'émission :** Coutances

**Action juridique :** notification

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'official de Coutances fait savoir que devant lui Pierre dit Le Teler et sa femme ont reconnu d'avoir vendu à l'abbé et aux chanoines de Sainte-Trinité de La Lucerne la rente annuelle que Guillaume Deu Butot de Torville devait audit Pierre et sa femme.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luserne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luserne, n° CL, p. 136-138.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis ac eciā audituris officialis Constanciensis salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presentia constituti Petrus dictus Le Teler, de parrochia Sancti Nicholai Constanciensis, et Eremborgis ejus uxor, cum auctoritate ipsius Petri sibi prestita, coram nobis, ad ea que secuntur, antequam de his aliquid ageretur, ultronei recognoverunt se quemlibet in solidum, pro communi utilitate et necessitate eorumdem, vendidisse, concessisse ac omnino in perpetuum dimisisse viris religiosis abbatii et conventui monasterii Sancte Trinitatis de Lucerna et eorum monasterio quinque buissellos frumenti, ad mensuram Constancensem, et quatuor denarios anni redditus ; quos quinque buissellos frumenti et quatuor denarios Guillermus Deu Buot, de parrochia de Torvilla, eisdem conjugibus, ratione predicte uxoris, debebat et reddere tenebatur, ut dicebant, annuatim, frumentum videlicet ad festum Sancti Michaelis in Monte Gargano, et dictos denarios ad Natale Domini, ratione porcionis dictam uxorem contingentis mesnagii seu manerii predicti Guillelmi de Buot in predicta parrochia de Torvilla siti apud La Buoterie ; quam quidem porcionem de dictis conjugibus, ratione dicte uxoris, idem Guillelmus de Buot tenebat in feodo, per sui homagium, reddendo redditus supradictos, ad terminos prenotatos, pro quibus habendis ipsi conjuges, ut dicebant, poterant super toto manerio predicti Guillelmi suam justiciam plenariam exercere, et, propter hoc, se habuisse et recepisse in peccunia numerata ab eisdem religiosis sex libras et dimidiam Turonensium, seu monete currentis, confessi sunt predicti conjuges, coram nobis, dictamque peccunie summam in eorum communem utilitatem conversam fuisse, et super hoc se tenuerunt pro pagatis, promittentes bona fide, uxor videlicet, cum auctoritate predicta, se quemlibet in solidum garantizaturos, deliberaturos et defensuros eisdem religiosis et monasterio successoribusque suis predictam vendicionem, concessionem et dimissionem et homagium predicti Guillelmi contra omnes ac in pace dimissuros ipsosque super hoc indempnes penitus servaturos ; ita quod ipsi religiosi et eorum successores per manum predicti Guillelmi heredumque suorum, seu quorumconque tenencium predictum manerium, predictos quinque bussellos frumenti, ad mensuram predictam,

et predictos quatuor denarios, una cum homagio predicti Guillelmi, vel cuiusconque tenentis dictum manerium, et cum omni jure et potestate quod et quam habebant et habere poterant ibidem, qualiconque ratione, predicti conjuges et eorum unusquisque, percipere valeant, possidere et habere de cetero, ad terminos supradictos, libere, integre, pacifice et quiete, sine molestatione, impedimento seu reclamacione super his ab aliquo facienda, vel alibi in eorum proprio hereditagio, ubiconque sit vel fuerit, in futurum valore competenti excambiare tenerentur et perfornire, si forte premissa garantizare, deliberare aut defendere non possent, vel si forte predicti religiosi minuerentur seu deciperentur in aliquo premissorum. Hec autem omnia et singula voluerunt et concesserent predicti conjuges et eorum unusquisque, uxor videlicet cum auctoritate predicta, et ad hec tenenda et implenda inviolabiliter et observanda predictis religiosis et monasterio successoribusque eorumdem obligaverunt sponte se quemlibet in solidum et eorum heredes et omnia bona sua mobilia et immobilia presencia et futura, ubiconque existencia, et renunciaverunt super hec omni excepcioni doli mali, fori falsi et declinatorio precii non habiti, non recepti, non numerate peccunie, vendicioni seu concessioni non facte, et omni alii excepcioni juris et facti canonici et cuilibet privilegio crucis indulto et indulgendo, juramento ab eisdem et unoquoque eorum prestito corporaliter de premissio fideliter adimplendis et servandis et de non contra veniendo. Voluit autem et concessit predicta uxor, cum auctoritate predicta, super hec, beneficio Velleiano et omni alio beneficio et auxilio pro mulieribus introducto et eciam per que prohibentur res dotales vendi seu alienari, renuncians spontanea specialiter et expresse ; quam enim de premissis tenendis et adimplendis eisdem religiosis et monasterio, ex nunc, viva voce monemus quod, quando et quocienconque contra premissa vel aliqua premissorum venire voluerit vel visa fuerit, vel ex eis aliquid contradicere seu revocare, vivente dicto Petro, seu post ejus decessum, ratione dotis, totalicii, maritagii inconbrati, impediti vel alio quoquo modo (quod absit) quod a nobis, nulla alia monitione premissa, excommunicetur, et quod tanquam rea perjurii et excommunicata puniatur, et quod eidem tanquam perjure et excommunicate omnis audiencia, tam in jure canonico quam civili, et in quolibet foro, denegetur. Et nos ipsos conjuges presentes et consentientes et eorum quemlibet in solidum, uxor videlicet, cum auctoritate predicta, quos de premissis tenendis et implendis et de juramento suo fideliter servando viva voce monemus, ad hec in scriptis condempnamus. Et hec omnibus quibus est significandum et quorum interest significamus per presentes litteras sigillo Curie Constanciensis una cum sigillis eorumdem conjugum sigillatas. Datum Constanciis anno Domini M° CC° nonagesimo secundo, die jovis post dominicam qua cantatur Letare Jerusalem, qua die dictus Petrus auctoritatem predicte uxori coram nobis prestitit ad premissa, et ea die injunximus predictis conjugibus, sub debito juramento, ut ipsi compareant hac instanti die dominica, ad horam misse parochialis, in ecclesia de Torvilla ad videndum dictam vendicionem in dicta ecclesia publicari ; cui injunctioni acqueverunt predicti conjuges et eorum unusquisque.